

NUMMVS MEMORIÆ SACER: CUSUS COMMUNI IN BELGIO

militantium consensu, pace Marchæ-fœminæ initâ:
conditoque Edicto perpetuo : Anno
Christi 1577.



Una una in re videbatur summa pacis componenda in Belgio consistere, ut Hispani eâ è regione expellerentur, inque hoc ipso consilio non fœderatæ modo provinciæ, sed è regijs Gubernatoribus, civitatibus, tribunalibus, præfectis publicis plerique consentirent, tandem etiam Johannes Austrîacus (is paulò ante Requesentio defuncto in Gubernatione Belgica successerat) multis rationibus motus concordiam ratam habet, Hispanorumque è Belgio discessum comprobat. Partibus itaque utrinque sic animatis, & legatorum Cæsaris, aliorumque Principum operâ deputatis Marchæ-fœminæ simul congregatis pax sancitur, confirmatur, Bruxellis, & Antuerpiæ promulgatur novendecim cum potissimum compræhensa articulis: qui *edicti perpetui* nomen accepere. Confirmat, quod pactum transactum fuerat, ipse quoque Rex Philippus: Belgij ordines militibus, conquistâ pecuniâ ex parte satisfaciunt: Hispani, Itali, Burgundi arces & propugnacula deserunt: capti utrinque dimittuntur: demum peregrini omnes, Mansfeldio Lucenburgij, Gubernatore itineris securitatem præstante, in Italiam præmissis thesauris, divites ovantesque tendunt. *In nummis, quod explicatione egeat, non reperi.*

Meteranus.